

inflammat. Hæc tum illius fere vox unica: fratres, hodie erimus in Paradiso; hoc credite, hoc sperate, ut vos Deus æternum amet.

Jam hostis vallum conscenderat, totoque oppido subjectis ignibus ardebant casæ; monentur victores esse divitem prædam et facilem, si templum versus properent: illic senum ac mulierum copiosum gregem, illic puerorum agmina. Accurrunt, ut solent, vocibus inconditis. Adventantem sensere hostem christiani. Capere eos fugam jubet Antonius, quâ parte liber adhuc est exitus: ipse ut hostem moretur, et fugienti gregi consulat bonus pastor, obvium se præbet armato militi, ejusque impetum frangit; vir unicus contra hostem; sed nimirum divino plenus robore, fortis ut Leo dum moritur, qui totâ vitâ suâ mitissimus fuerat ut columba. Vere ut aptare illi possim illud Jeremiæ, dereliquit ut Leo umbraculum suum, quia facta est terra eorum in desolationem, a facie iræ columbæ, a facie iræ furoris domini. Tandem læthali ictu prostratus emissæ in eum catapultæ, densisque confossus sagittis, felicem animam, quam pro ovibus suis posuerat bonus Pastor, Deo reddidit, Jesum inclamans. Sævitur barbare in ejus exangue corpus, vix ullus hostium ut fuerit, qui mortuo novum vulnus non adderet [adjiceret—*Martin's apog.*]; donec incensâ demum æde sacrâ, medias in flammas injectum nudum cadaver ita est concrematum, ut ne os quidem ullum restaret: nec sane poterat nobiliore rogo comburi.

Dum sic hostes moratur, etiam post mortem fugienti gregi suo salutaris: multi in tutum se recepere: alios victor miles est assecutus, matres præcipue,